

Ratione harum formarum genus demum dividitur. Omne enim genus dividitur per oppositas differentias, & ab his diversæ species constituuntur. Zabarell. lib. 1. post. c. 5.

18. Quandoque tamen genera partes specierum dicuntur. Scal. Exerc. 307. Sect. 21. Goel. lib. 1. Instit. pagin. 130. Sed suo modo utrumque verum. Genus ut totum quidam consideratur, quod ambitu suo suas species continet, ac proinde de specie, ut parte enunciatur. Genus ut pars essentialis speciei consideratur. Quia ejus naturam constituit, & λόγος στοιχείων ingreditur. Vel sic: Species est pars subjecta generi ratione divisionis: Genus est pars speciei ratione compositionis & constitutionis. Quia non existit nisi in suis speciebus. Scalig. lib. 5. de caus. lat. Ling. c. 100. Zabar. lib. 1, post. cont. 41.

19. Generi, ut patet ex dictis, correspondet species. Species ergo est pars generis. P. Ram. lib. 1. Dial. c. 27. & ibid. Dd. Goel. lib. 1. Instit. log. pag. 126.

20. Et quidem est pars generis ita, ut essentiam à genere accipiat. Ut enim integrum est effectum partium, partes vero causæ integrum essentialiter constituentes: Sic species est effectum generis, Genus causa speciei.

21. Posito ergo genere & omnes ponendæ sunt species, sed non una posita genus statim totum inferendum. Omne enim genus est latius sua specie, ac proinde non convertitur cum illa. Goel. part. 2. probl. Log. probl. 15.

22. Ergo qui scit aliquot species propria scientia & actu, si putet universum & totum rei genus sibi notum esse, fallitur, qui putat, cum universalium scientiam habeat, ideoq; scientiam sibi propriam & actu adesse. Atqui longè aliud est libros lectitasse & in iis generales & universales regulas didicisse, aliud in singularibus exemplis omnigenere meditationis exercuisse. P. Ram. lib. 19. Schol. Dial. c. 17. fol. 752.

23. Genus univocum strictè hic definitur, non analogum. Est enim genus univocum, quod idem dispertit
sensu et
æquè